FRATERNÆ LACRUMÆ,

Quas

Super inopinos manes

FOEMINÆ

Virtute & forma nobilis

DOMINÆ

ANNÆ REGINÆ BEHEMIÆ,

VIRI

Magnifici, Nobilissimi, Amplissimi atq; Consultissimi

DOMINI GEORGII HÜBENERI,

Regiæ Civitatis Thorunensis Cos. & Qvæstoris Supremi gravissimi, Administratoris omnium Bonorum terrestrium aliorumq; proventuum nominatæ Civitatis Generalis integerrimi fidelissimi,

CONJUGIS DULCISSIMÆ,

In summo ætatis flore & virtutum apice rebus humanis ereptæ

SVAVISSIMÆ SORORIS SUÆ

largissimè effusas

contestandi doloris ergo

Suis mittit Regiomontô

GEORGIUS BEHEM,

Phil. & J. U. Stud.

ANNO M DC LXXXII. d. 11. July



Ndis Hesperiis lumina Cynthii
Tethys condiderat, sera crepuscula
Satrix Eumenidum traxerat, omnia,
Quæ mundus gremio continet integer,
Mulcebat requies & placidus sopor;
Lassatos studiis atque laboribus
Artus cum thalamo projicerem meos,
Jam somno dederam langvida lumina
Morpheus præstò fuit luridus artifex,
Ductoque in rabidum me Polyandrion
Miranri varias, monstrat imagines:
Vidi Pyramidum saxa Colossica,
Mausoli tumulos, ac Haliatticæ
Regalis fabricæ magnificos situs,
Hæc dum perspicio, spissa frequentia
Divûm fit mihi tunc obvia; cæterum
Questus horrisonos nil nisi Præficæ
Planctus & lacrumas territus audio.
Sto, miror, trepidus quid faciam, haud scio,
Audax tandem animi factus, alacriter
Tendentes Superos subsequor, algida ad
Lethes somniferæ flumina veneram.
Subsistunt ibi tum lanificæ Deæ,
Ad ripam & fluvii non remeabilis
Exponunt animam. Cuncta quid hæc velint
Ignorans rogito quas video prope
Stantes: Dicite quid flebilis Atropos,
Qvid Clotho, Lachesis, tristia Numina
Ad ripam faciant? stamina Conjugi
Haud pridem, referunt, HUBNERIÆ feræ
Abrupere Deæ, nunc animam capit
Quarum de manibus terribilis Charon.

Ferme

Ferme deperii comperiens ea;
Pectus contremuit, cor timuit, comæ
Stabant, nec mihi mens, nec ſolitus color
Certâ ſede fuit, plurimus in genas
Humor lapſus erat, ſingula corporis
Terror membra mei ſic cruciaverat,
Ut dulcis requies corpora linqueret.
Cœli Aurora fores jamque recluſerat,
Fallacis varias noctis imagines
Cum turbatus ego mente revolverem;
Pennis mobilibus Mercurius Domum
Tum prætervolitans anxiam epiſtolam
Deponit mediis in penetralibus.
Huic poſtquam ſubitò vincula detraho,
Morpheus, cuncta, mihi quæ patefecerat
Imis in tenebris, comperio miſer!
Charam nempe ſororem abripuiſſe jam
Dirâ morte mihi, lethiferam Atropon.
O caſus dubios, ô miſeras vices!
O auſus rigidos, ô mala nuncia!
Quis vos implacidæ vos Stygiæ Deæ,
In tantum facinus, dicite, compulit?
Illum crediderim colla patris ſui
Fregiſſe, ille cruore & penetralia
Nocturnô Domini ſparſit, & horridum
Virus, quidque animô concipitur nefas,
Tractavit, teneram Magnifici Viri
Qui tam præcipiti perdere Conjugem
Vobis inſipidus conſuluit nece.
Quicquid Luna videt, creditur omnibus
Ætas: Non niſi ſint Iliacæ trabes,
Annoſæ, Ægiochi, fulmine concidunt

Autu-

Autumnus pariter ſponte cadentia
Captat poma ſibi: Tum Semeles puer
Botrum, cum gravis eſt, purpureum ſecat.
Cum turgent, ſegetes falcibus impetit
Frugum Diva potens: Delia retibus
Grandævas nemorum perſequitur feras,
Parcendo ſoboli: Sola ſororibus
Cum tetris Atropos, deſtruis ordinem
Naturæ, Japeti poſtgenitum genus
Delectu ſine ſic exanimans. Piæ
Non virtutis opes, non niveus color
Effulgens Pariô marmore purior,
Non mores placidi, non roſeus vigor
Ætatis teneræ attenditur. Ecce, quæ
Annos digna fuit vivere Neſtoris,
Obtruncata jacet; Deliciæ Deûm
Frigent, Urbis honos deperiit, roſa
Immatura necis ſternitur enſe. Quis
Hoc factum celebret? quis rabiem feram
Excuſare velit? nemo niſi igneum
Tanquam ſacrilegus, ſit relegandus ad
Orcum. Vix ſemel heu! tranſiit aureus
Tractus Zodiaci Cynthius annuos,
Cum Juno unxia eam junxit amoribus
HÜBNERI Patriæ Conſulis. O Deæ
Cœpti Conjugii vincula rumpitis,
Inter lætitiam, triſtitiam & metum,
Inter jubila vos luctiferos ſonos
Miſcetis: Bona proh Penelope Viro,
Jam natæ Genetrix, Nata ſuo Patri,
Et fratri nimium chara ſoror citò
Per vos abripitur. Pernicies mala,

Ter-

Terrarum imperium non tibi competit.
Hôc namque imperiô ſemper abuteris
Turbans imperium terrigeni gregis.
O cuſtos hominum, Jupiter, ô Sator
Divorum, prece te ſollicitâ ambio,
Exaudi gemitus, aſpice lacrumas,
Tendentesque manus Ætheris ad domos:
Pœnas pro meritis inſatiabiles
Imponas Stygiis, oro, ſororibus,
Orbes imperiô tetrica Numina,
Infernis furiis exagitata ne
Lethô conficiant ulterius pios,
Noſtris ac Laribus funera comparent,
Audivit lacrymis miſta Dieſpiter
Oris verba mei, moxque palatia
Cœli deſeruit. Venit, & indolens
Nobis, hæc retulit: Palladis impiger
Cultor, cur pateris corda doloribus
Angi? cur nimiis ora rigas aquis.
Pallentesque tibi dilaceras genas?
Cur ploras nimium, fata Sororis &
Defles? Triſtitiæ pone modum, precor.
Sunt hæc namque Diis facta probantibus,
Hâc ex valle citò quò raperetur ad
Pulchri tecta poli. Quippe fuit ſoror
Cœlô digna; etenim fulſerat omnibus
Virtutum radiis. Luna minor ſolo
Eſt vicinor, at cornua plena habens
Tractûs ætherei culmina tum capit.
Excelſæ quoniam mentis erat ſoror,
Sublimi feriit ſidera vertice.
An turbabis ei, frater, amabilem

Vitam

Vitam, lætitiæ ſunt ubi perpetes?
Felix proſperitas, perpetuus ſopor
Elorent? ſemper ubi Nectare paſcitur,
Et dulci Ambroſiâ, deliciis Deûm?
Terris gratia quæ? Perfidia & dolus.
Mundus mille malis atqve periculis,
Tempeſtatibus & ſcinditur integer.
Lætare ergo, novæ magnaqve gaudia
Divæ haud impedias triſtitiâ tuâ.
Dixit. Moxqve ſuum flexit iter retro,
Evectus ſubitò ad Cœlitum domos
Alis. Quid facerem? velle Deûm fuit.
Nam nosmet Superûm juſſa ſequi decet.
Ergo pars animæ chara ſoror meæ,
O & delicium, & dulce decus vale,
Æternumqve vale, cum Jove Principe
Regum ſceptra polô ſecula in omnia
O REGINA geras, regnaqve dividas.

D. M. S.

R *** *** ***

Ara eſt concordia Divûm
& communibus ſuffragiis curata hominum felicitas.
Herculi non ſatis erat ſatum eſſe ipsô Jove.
Qui vitam dederat, Junonem iniquam
reddere non poterat faventem,
Cnm omnia poſſe putaretur.
Æneas quoqve ægrè vulneribus lacrumisqve matris defenditur,
Et Orpheum Muſæ flent, quem ſervare non poterant,
Sic gens Deorum ſcinditur ſtudia in contraria,
Et mortalium fata pars auget, pars minuit.

Quæ

Quæ hic meliori ſpei emortuales exuvias deponit
PRÆNOBILIS FOEMINA

ANNA REGINA BEHEMIA,

Florentem aliorum gratiam, aliorum præcipitem iram
experta eſt.
Illi Venus veneres ſuas, Hebe annos, Minerva
artes, Diana mores, Svada mulcedinem,
Juno tandem munera & maritales
lætitias conceſſerant,
eamq; ceu Pandoram quandam
non tam omnibus dotibus ornaverant, quam oneraverant.
Hoc tamen cum diſcrimine,
ut nulli exitialis eſſet, niſi ſibi,
nulli luctuoſa, niſi ſuis.
Quippe
Cùm illam in breve matrimonium propitia Juno
VIRI MAGNIFICI, NOBILISSIMI, AMPLISSIMI,
CONSULTISSIMIQVE

DNI. GEORGII HÜBENERI,

Dexterqve Hymenæus deduxiſſent,
Lucinam tandem irritam experta eſt.
O lubrica vitæ gaudia!
ô ſpes evanidas!
Cum vitam eſſet datura, cum auctura domum,
Solitudinem ipſa facit, vitamqve inopinâ morte permutat.
Natales riſus feralis luctus, geniales lætitias
funereæ næniæ occupant.
Luna olim defectum paſſa parturire videbatur
commentô non admodum abſurdô:
Noſtra hic LUNA novum in lucem edens Solem,
verè deficit.

Nec

Nec quisquam LUNÆ noſtræ poteſt ſuccurrere.
Violentæ ergo Parcarum manus ad manes eam ducunt,
injuſtâ perempta morte
è thalamo in tumulum tranſit.
Quod ex ipſa vitam auſpicabatur,
inauſpicatæ mortis ei fuit auſpicium.
Quod nondum vitam matris expertum erat
funus jam cognoſcit.
Noſtra ergo hic jacent
Gaudia, ſolamina, vota, ſpes, deliciæ
DEUS namqve tantum Munus cœlo repetiit,
& tantùm
Parentibus deſiderium,
Marito ſolitudinem,
Fratribus lacrumas,
Proli orbitatem,
Cœlo animam,
Terræ exuvias.
Poſteritati memoriam,
Tibi Viator, venerationem
reliquit.

